

auctoritate provisum fuerit; prout loquuntur concordata Germaniæ, ex tunc concedentia collatoribus ordinariis liberam de illo disponendi facultatem.

565. *Ac etiam Sede apostolica vacante.* — Infertur ulterius, quod etiam Sede apostolica vacante, post elapsum trimestre a die notæ vacationis in loco beneficii possit collator ordinarius illud conferre: idque in vim eorum concordatorum Germaniæ; atque confirmat consuetudo hactenus recepta. Nam rationes n. præced. allatæ, etiam urgent in casu Sedis apostolicæ vacantis.

566. *Solvitur instantia ex c. Si Apostolicæ de Præbend. in 6. desumpta.* — Nec obstat textus in c. *Apostolica. 35. juncta Glossa, et doctoribus ibid. de Præbend. in 6. asserentibus, quod Sede apostolica vacante possint quidem collatores libere conferre parochiales Ecclesias tunc in Curia vacantes, non autem alia beneficia apud eandem tunc vacantia. Resp. enim, istud procedere de beneficiis, quæ Sede apostolica vacante contingit apud eandem Sedem vacare: in quo casu, loquendo de solis « Parochialibus Ecclesiis » (et sic tacite cætera beneficia tunc vacantia in Curia excludendo: cum « exceptio firmet regulam in contrarium » in casibus non exceptis. I. *In iis quæ. ff. de Legib. juncta Glossa ibid. Barbosa, Axiomat. 85. n. 4.)* statuitur in cit. c. « Si apostolica, de præbend. » in 6. quod dictæ parochiales Ecclesiæ possint conferri Sede apostolica vacante, « ne ipsarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre, » prout loquitur Pontifex ibid. secus est dicendum de beneficiis vacantibus in mense pontificio juxta concordata Germaniæ: quia horum collatio indistincte relinquatur collatoribus inferioribus, quando « non apparuerit intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit: » prout Sede apostolica tandem vacante non apparet, neque apparere potest.*

567. *Sensus concordatorum Germaniæ, ibid. In loco beneficii, etc., declaratur per Gregorium XIII.* — Resp. II. Cum circa sensum dictorum verborum, « Non apparuerit intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, » quæ collatores ordinarii in præjudicium collationis pontificiæ interpretabantur; plures successive fuerint ortæ difficultates, collatoribus ordinariis post lapsum trium mensium illico conferentibus beneficium vacans, si is, cui Papa illud jam contulerat,

quocunque casu in loco beneficii nondum apparuisset. Hinc Gregorius XIII. in citata sua constitutione 41, *Quæ in Ecclesiam, declaravit* verba illa, « In loco beneficii, » conjungi eum verbis immediate antecedentibus, « Notæ vacationis, » et ad illa duntaxat referri: sicque voluntatem concedentis, ac sensum dictorum verborum esse, « ut dispositio beneficii intra tres menses a die notæ vacationis a Sede prædicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat: » sive dein appareat in loco vacantis beneficii, sive Romæ, aut in loco, ubi existit Pontifex. Unde subjungit citatus Pontifex, declarando, quod ordinarii, aut alii collatores, non possint post lapsum trium mensium ejusmodi vacantia beneficia conferre, « si de illis intra dictum trium mensium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem qualiscunque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit. » Voluit tamen Pontifex ibidem, quod taliter provisum de beneficiis, intra tres illos menses concessionem sibi factam collatoribus ordinariis significare, vel in ipso beneficii loco publicare teneantur. Quod intellige, dummodo istud commode fieri possit, et temporis angustia, vel alia impedimenta non obstant. Engel, tit. *de Rescriptis. n. 23; Pirhing, h. t., n. 363; Georg. Branden, super Concordatis Germaniæ, quæst. 12. Notab. 3; Nicolarts in cit. Concordat. tit. I, dub. 41, § 1. et seqq. estque uberius dictum supra lib. I. tit. III. De Rescriptis., § 3, n. 68.*

568. *Post lapsum trium mensium non excluditur Papa a collatione beneficii, si istud collator ordinarius nondum contulit.* — Resp. III. Quamvis post lapsum trium mensium a die notæ vacationis in loco beneficii, si de hoc auctoritate Apostolica nulli provisum fuerit, possit collator ordinarius libere de eodem disponere, ut dictum: non tamen idcirco excluditur jus concursus summi Pontificis, utpote concurrentem cum quolibet ordinario jurisdictionem, atque potestatem conferendi beneficia habentis, c. *Dudum. 14. de Præbend. in 6. com similibus.*

569. *Atque istud exemplificatur.* — Unde si casus contingeret, quod Papa post lapsum dictorum trium mensium conferat beneficium, antequam collator ordinarius illud contulisset, (puta, si dies factæ collationis pontificiæ prior sit die collationis ordinarii) non est dubium, quin provisum a Papa excludat provisum ab ordinario, juxta textum expressum c. *Si a Sede. 31. de Præbend. in 6. juncta*

Glossa 7. *Nec appareat.* ita Branden in *Concordatis Germaniæ*, quæst. 6. n. 18. et infra, Notab. 1. n. 1. ac seqq. allegans Rotam in una Meten. canonicatus, coram R. P. D. de Rubeis. 8 novemb. 1577. et Cassadorum, decis. 1. *de Pactis*, et Simonettam l. 1. decis. 7, Nicolarts, tit. I. ad *Concordat. Germ. § 3.* citans plurimos alios. Accedit ratio, quia, licet Papa post lapsum trium mensium collatoribus ordinariis concesserit potestatem libere disponendi de beneficio vacante, non tamen hujusmodi facultatem a se abdicavit: quinimo majorem sibi reservasse dignoscitur, arg. cit. c. *Dudum. de Præbend. in 6. juncto relato textu concordatorum, ubi de tali abdicacione nulla, vel minima mentio habetur.*

§ XX.

DE PRIMIS PRECIBUS IMPERATORIS.

570. *Imperatori Romanorum neo-electo, ex auctoritate apostolica concedi solet speciale indultum nominandi ad beneficia idoneas personas. Nominatio hujusmodi nomine primarum precum denotatur.* — Quæritur I. An, et qualem potestatem porrigendi *Primas preces* ad beneficia, habeat imperator? Resp. I. Imperatori Romanorum neo-electo, ex auctoritate apostolica, et antiquissima consuetudine, concedi solet speciale indultum apostolicum, ut in qualibet Ecclesia per S. Romanum imperium, prout nunc est, ubicunque constituta, semel personam sibi gratam et acceptam, cæteroquin tamen idoneam, collatori ordinario nominare possit, quam iste ad beneficium vacans omnino recipere teneatur. Et hujusmodi nominatio per Romanorum imperatorem facta, speciali nomine *Primarum Precum imperatoris* denotatur.

571. *Indultum hujusmodi apostolicum est ab antiquis temporibus usitatum.* — Porro harum *Primarum precum imperatoris* non solum meminerunt recentiores auctores: ut Joan. Chokier, in tract. *Scholia in Primarias Preces imperatoris*, intitulo; Fagnanus c. *Nulla. n. 9. et seqq. de Concession. præbend.*; Henric. Wagnerek in *Commentario exegetico SS. canonum, c. Is cui, de Præbend. in 6.*; Pirhing, h. t. n. 367; Engel, eod. n. 70. et alii. Verum etiam de eisdem mentionem faciunt antiqui canonistæ: ut Joan. Andreas, cit. c. *Is cui. n. 1. de Præbend. in 6. et Speculator tit. de Præbend. § Restat. n. 7. asserens, quod « Imperator habet privilegium, quod*

ego (inquit) vidi Bullatum, quod in qualibet Ecclesia Alemanniæ possit facere unum recipi. » Unde patet de antiquissima consuetudine hujus privilegii, quod imperatori neo-electo, et a Papa confirmato, idque postulanti, in scriptis concedi solet: adeo, ut Nauclerus in sua *Chronographia* testetur, Rudolphum I. qui anno Domino 1273, electus est, jam usum fuisse hoc privilegio sub nomine *Primarum precum*, ex antiqua, et approbata ab antecessoribus ad se perducta consuetudine: sicque hanc dudum jam ante tempora Rudolphi I. viguisse appareat.

572. *Refertur tenor dicti indulti apostolici.* — Exemplar talis indulti apostolici, per Paulum V. Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo, 1620. pridie Non. junii concessum, per extensum refert, scholisque illustrat Joannes a Chokier in tract. *Scholia in Primarias preces imperatoris*, intitulo: ex cujus indulti tenore simul colligi poterit, qua facultate porrigendi *Primas preces* ad beneficia gaudeat imperator. Quia tamen ejusmodi indultum apostolicum est longius, et apud memoratum auctorem, in quinque sectiones divisum, videri potest: hinc dimissis cæteris, solummodo secundam, et tertiam sectionem, utpote præ cæteris ad propositum facientem, huc adducere placuit; ubi Pontifex indultum *Primarum precum* interponendarum, sequentibus verbis neo-electo imperatori concessit.

573. « Hinc est, quod Tuæ Celsitudinis supplicationibus inclinati, dicta auctoritate præsentium serie eidem T. C. concedimus, indulgemus, quod si per te quibusvis collatoribus seu collatricibus quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum, sæcularium, et regularium, ordinum quorumcunque, per S. Romanum imperium videlicet constitutorum, etiam si qui, vel si quæ ex illis pontificali, seu alia quavis dignitate præfulgeant, seu collegia, capitula, et conventus fuerint, super singulis beneficiis ecclesiasticis, cum cura, vel sine cura sæcularibus, vel ordinum hujusmodi regularibus, in singulis cathedralibus, metropolitanis, vel collegiatis, vel aliis quibusvis ecclesiis, etiamsi beneficia hujusmodi, canonicatus et præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, et collegiatis et ipsæ præbendæ in illis, et hujusmodi ecclesiis, in quibus majores et minores præbendæ esse noscuntur, etiamsi majores fuerint, et ad dignitates, personatus, admi-

strationes, vel officia hujusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsæ in cathedralibus et metropolitanis post pontificales majores, aut collegialis hujusmodi principales non existant, ad eorundem collatorum et collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, communiter vel divisum pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, et admittantur. Preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi beneficia nominationes fieri contigerit Primarias, iidem collatores et collatrices (salvo, quod singulæ collationes, et singulæ ecclesiæ, ex hoc ultra, quam in uno beneficio non graventur; ac ipsi collatores et collatrices saltem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant) hujusmodi Precibus, et nominationibus parere intendere, nec non personas ipsas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonice provisum fuerit, juxta earundem Precum, aut nominationum tenorem recipere, et admittere debeant et etiam teneantur. Ita quod Celsitudo Tua unam et eandem personam supra dictis collatoribus, et collatricibus, simul, vel successive nominare possit. Ita tamen, quod quamprimum persona sic nominata de aliquo beneficio provisiva fuerit ejus nominatio quoad alios collatores, vel collatrices facta, ipso jure expiret; et quoad easdem Preces, canonicatum et præbendam, ac dignitatem, seu personatum, administrationem, vel officium in una ecclesia pro unico duntaxat beneficio computari debere declaramus, » etc. Hæc ibi: concedendo postmodum eidem neo-electo imperatori potestatem deputandi executores, qui auctoritate apostolica, etiam per censuras ecclesiasticas, compellere possint ordinarios collatores, vel collatrices, ad executionem dictarum *Primarum Precum*: « Non obstantibus quibuscunque, » etc. Pro cujus indulti apostolici meliori intelligentia.

574. *An imperator neo-electus possit eodem, uti ante approbationem Papæ? Approbatio imperatoris neo-electi spectat ad Papam.* — Quæritur II. Utrum neo-electus imperator jam ante approbationem Papæ, possit uti indulto interponendi *Primas preces* pro assecutione beneficiorum? Resp. Etsi Romanus Pontifex non nisi prævia approbatione imperatoris neo-electi (quæ ad Papam de jure spectat. c. *Venerabilem*. 34. de *Election.* et Clem. 1. de

Jurejurand.) ac specialibus desuper expeditis litteris, Indultum *Primarum precum*, ad præviam ejus petitionem concedere solet; prout patet ex tenore relati indulti apostolici, nihilominus videtur dicendum, quod imperator neo-electus, nomine, et auctoritate apostolica, potestatem nominandi, seu *Primas Preces* ad beneficia vacatura interponendi, vigore memorati indulti concedi solitam, statim, ac concorditer electus fuit, erga personas bene meritas, exercere valeat: idque ob cognitam benignitatem summorum Pontificum, qui memoratum indultum litteris, et si posterius datis, non dubitantur concessuri; sicque rati habituri nominationes ad beneficia auctoritate ipsorum jam antea factas: nam « rati habitationem retrahere, et mandato non est dubium comparari. » juxta reg. 10. jur. in 6. Ita Henricus Wagnereck ubi supra, § 1, ¶. *Quæres.* et seqq.; Pirhing, h. t. n. 371. Engel eod. n. 70. in fin. qui ad istud adducunt recens exemplum Ferdinandi IV. Augustæ Vindelicorum post electionem suam, nemine improbante, sic practicantis: quamvis Joan. Chokier in *Scholiis de Primis Precibus*, sect. 2, quæst. 12, de hoc dubitet, istamque quæstionem relinquat indecisam.

575. *Ad quæ beneficia possit imperator primas preces porrigere?* — Quæritur III. Ad quæ beneficia virtute indulti apostolici possit imperator neo-electus *Primas Preces*, seu nominationes porrigere? Resp. I. Virtute memorati indulti apostolici potest imperator in omnibus ecclesiis, intra fines Sac. Rom. imperii, prout nunc est, consistentibus, etiam metropolitanis, cathedralibus, collegiatis, et quibuscunque aliis, *Primas Preces*, seu nominationes de personis idoneis porrigere, quas ordinarii collatores, vel collatrices, postquam illis sic provisum fuerit, omnino recipere, atque nominatos ad vacantia beneficia admittere tenentur: ita tamen, ut idem collator, seu collatrix non nisi semel, id est pro unico tantum beneficio, gravetur. Ita auctores, qui supra; et patent singula ex tenore indulti apostolici proxime relati.

576. *Istos solum potest porrigere in ecclesiis intra fines sac. rom. imperii, prout nunc est, existentibus.* — Dicitur notanter, « in omnibus Ecclesiis intra fines Sac. Rom. imperii, prout nunc est, existentibus. » Quia indultum illud porrigendi *Primas preces* solummodo conceditur imperatori per Romanum Imperium, prout nunc est: non autem pro provinciis, et regnis olim ad id pertinentibus,

sed hactenus ab eodem avulsis. Siquidem in istis nullam amplius jurisdictionem habet imperator.

577. *Quid, si collator existat extra fines imperii, Ecclesiæ vero intra illos: aut e contra?* — Quod si vero collator, vel collatrix habitet extra ditiones sac. Rom. imperii, sed intra istud habeat quædam beneficia conferenda, saltem quatuor: tunc ipse, vel ipse puta abbas, vel abbatisa, videtur teneri ad recipiendas *Primas Preces* imperatoris ratione dictorum beneficiorum, utpote consistentium intra fines imperii. Ratio hujus est, quia Pontifex concedens indultum, non respexit ad domicilium collatorum, sed ad locum, in quo beneficia consistunt: ubi desumitur ex illis verbis relati indulti: « Per s. Rom. imperium videlicet constitutorum. » Joan. Chokier, loc. cit. sect. 2. post quæst. 17. ¶. *Per sacrum*; Wagnereck d. c. *Is cui.* § 2. Not. 2. h. t. in 6; Pirhing, eod. n. 367. Not. 2. Quæ proinde contra inferunt, secus esse dicendum, quando collator habitat quidem in imperio, sed beneficia conferenda consistunt extra illud: quia tunc non tenetur collator ille admittere *Primas Preces* imperatoris, argumento a sensu contrario desumpto.

578. *Idem collator non nisi semel potest per Primas Preces imperatoris gravari.* — Et additur, « ita tamen, ut idem collator non nisi semel gravetur, etc. Istud enim expresse habetur determinatum in relato indulto apostolico, illis verbis: « Salvo, quod singulæ collationes, et singulæ ecclesiæ ex hoc ultra quam in uno beneficio non graventur. » Nec immerito: tum quia alioquin non primæ, sed secundæ Preces fore censerentur; tum quia Papa nunquam intendit eundem collatorem super pluribus beneficiis, aut receptione duorum gravare, nisi istud exprimat, c. *Mandatum*. 38. de *Rescript.* juncta Glossa. ¶. *Super receptione duorum*, et doctoribus, ibid. Unde consequens est, quod nec imperatori talem tribuat facultatem, in præjudicium collatorum ordinariorum, quibus alias vix amplius superesset occasio conferendi.

579. *Et quando imperator censeatur gravasse?* — Gravasse autem semel collatorem censetur imperator, quando hujus *Preces primariæ* ad effectum pervenerunt, atque nominatus actu beneficium sibi præsentatum obtinuit. Alioquin vero, si hic *Primis precibus* imperatoris pro se factis renuntiaverit, aut morte præventus, vel quocunque alio impedimento detentus beneficium illud non

obtinerit; nihil prohibet quin imperator novas preces pro illo ad eundem collatorem dirigere valeat. Chokier, ubi supra quæst. 5; Pirhing, h. t. n. 373; Engel, eodem n. 70. vers. II. *Potest.*

580. *Dantur plura beneficia, quæ sub primis precibus imperatoris non comprehenduntur. Ut dignitates pontificales, et dignitates majores post eas in cathedralibus, et principales collegiatis.* — Resp. II. Dantur tamen plura beneficia, quæ sub *Primis precibus* imperatoris, seu potestate nominandi ad ea non comprehenduntur. Ita certa, et communis, ac per inductionem. Sic imprimis hinc excipiuntur dignitates pontificales; nec non dignitates majores post pontificales in cathedralibus, et principales in collegiatis: ubi patet ex tenore indulti apostolici *Primarum precum*, n. 573. relati ibi. « Dummodo dignitates ipsæ in cathedralibus, et metropolitanis post pontificales majores, aut collegiatis hujusmodi principales non existant. » Quæ autem censeantur ejusmodi majores, vel principales dignitates, dictum est supra. § præced. n. 550.

581. *Item prælaturæ regulares, imo et simplex monachatus.* — Deinde excipiuntur prælaturæ regulares, seu dignitates in monasteriis: ut abbatia, decanatus, prioratus conventuales. Talia enim beneficia ex natura sua sunt regularia, supponuntque professionem religiosam: nam abbas eligi non potest nisi professus, c. *Cum in magistrum*. 49. de *Election.* Idemque dicendum esse de simplici monachatu, vel canonicatu regulari, quod videlicet non cadat sub *Primis precibus* imperatoris, probat etiam ratio; simulque recepta consuetudo, quæ est optima legum interpres, c. *Cum dilectus*. de *Consuetud.* Alioquin certe multum turbaretur pax religiosa, bonumque regimen Monasteriorum.

582. *Beneficia regularia alia sunt ex natura sua talia; alia solum per accidens: et an cadant sub primis precibus?* — Nec obstat tenor indulti apostolici *Primarum Precum*, ibi: « Super singulis beneficiis ecclesiasticis secularibus, vel ordinum hujusmodi regularibus. » Resp. enim cum Henric. Wagnereck, in cit. c. *Is cui.* § 2. ¶. *Beneficiorum ecclesiasticorum*. h. t. in 6. quod beneficia regularia alia sint ex natura sua talia; ut sunt proxime dicta. Alia vero per accidens solum; puta, quia sunt regularia ex fundatione, vel legitima præscriptione: ut parochiæ per regulares administrari solitæ, c.